ARCHIWUM UNIWERSYTETU JAGIELLOŃSKIEGO

ZESPÓŁ:

Rękopisy XV–XVIII w.

SYGNATURA:

Rkps 43 – Statuta Universitatis rectoratu Magnifici, Perillustris et admodum Rndi dni D. M. Martini Waleszynski z r. 1724

DIGITALIZACJA:

Archiwum Uniwersytetu Jagiellońskiego

2024 r.

1. NR ARCHIWUM:	2. NAZWA ARCHIWUM:	
805	Archiwum Uniwersytetu Jagiellońskiego	
3. NAZWA ZESPOŁU:		
Rękopisy XV–XVIII w. (Rkps)		
4. NR ZESPOŁU:	5. SYGNATURA OBIEKTU:	
2	Rkps 43	
6. LICZBA STRON/KART:	7. LICZBA SKANÓW:	
112	60	
8. DATA WYKONANIA:	9. NAZWA PRACOWNI:	10. WYKONAWCA KOPII CYFROWYCH:
2024	Archiwum UJ	Igor Waligórski
11. UWAGI:		
-		



No 43.
Statuta Universitatis
1724.—

Hæc Statuta approbata p Universitatem ut pt ex Libro Coõnum Universitatis fol. 35. ad 4tum.

De Censuris per Rectorem ferendis fuit Statutum in Libro Statutorum antiquorum fol. 30. positum.



A 3 ak.

Hæc Statuta approbata p Universitatem ut pt ex Libro Coonum Universitatis fol. 35. ad 4tum.

De Censuris per Rectorem ferendis fuit Statutum in Libro Statutorum antiquorum fol. 30. positum.

43 AK.

STATVTA VNIVERSITATIS.

RECTORATV

Magnifici Perillustris et Adm R'ndi D'ni

D. M. MARTINI WALESZYNSKI.

S. Th: Doctoris et Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Canonici Siradiensis Cancellarij, Scarbimirienſis et S. Michaelis in Arce Crac' Custodis, Montis S. Georgij in Scepusio Præpositi, Canonizationis B. Joannis Cantij Procuratoris, Ordinarij Librorum per Diœcesim Cracovien' Censoris, Scholarum Novodvorscianarum et Contubernij Hierosolymitani Provisoris.

FORMATA

à Perillustribus et Clariſsimis Doctoribus et Professoribus omnium Facultatum ab Vniversitate Deputatis

REVISA ac VENTILATA

et tandem in Convocatione publica lecta, et unanimi omnium Ordinum Academicorum consensu

APPROBATA

Anno Domini 1724. Die 22. Martij.

Cùm leges fuerint institutæ et firmatæ, non licet Judici de his judicare, sed secundum ipsas.

S. Augustinus de vera Religione.

Nil est tàm aptum ad jus, conditionemq; naturæ, quàm lex, sine qua, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

Cicero Lib. 3tio de Legibus.

PARS PRIMA

De Electione Magnifici Domini Rectoris.

Quoniam in Electione Rectoris, Universitatis Nostræ prima Libertas et Dignitas maxima, Communeq; Bonum omniù vertitur; à quo tanquam à Capite in cætera membra diffunditur, ideo ab Electione ejus ordimur, ac antiqua Statuta ad executionem deducendo, ordinamus.

Statutum I.

Die Electionis stata, omnes omnium Facultatum Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei et Studiosi, pro decore et honore Universitatis et Actus hujusmodi, in habitu quisq; Statui suo convenienti, præeuntibus cum Sceptris Bedelis ad mandatum per Magnificum Rectorem pro tempore existentem extraditum, ad Ecclesiam Divæ Annæ pro Missa votiva de Spiritu Sancto per Hebdomadarium Loci celebranda conveniant, nec inde discedant, nisi post Sacrificium Missæ finitum, ibiq; orent. Vt Deus Omnipotens talis electionem inspiret Rectoris, qui Bono Communi proficuus esset.

Statutum II.

Post finitum Missæ Sacrificium omnes ad Lectorium CC. DD. Theologorum, electioni Rectoris destinatum locum, dato tertio signo Campanæ per Bedelum conveniant, ibiq; perseverent; do-

donec aut novus Rector eligatur, aut antiquus reeligatur, sub debito obedientiæ, privatione dismembrationis ex fundatione Gorsciana.

Statutum III.

Post præmissum à Præsidente Actûs sermonem brevem, in eligendo Rectore modus antiquus servetur: Nimirum, Primi Electores novem, sic eligantur. Ex Doctoribus Facultatum Theologicæ, Juridicæ, Medicæ, duo à Seniore Facultatis cujuslibet proponantur, et ex duobus unus eligatur per Doctores Facultatis. Ex Philosophiæ Doctoribus quatuor proponantur à Decano Facultatis Artisticæ, et unus ex ijsdem eligatur. Ex Professoribus Theologiæ, Juris et Baccalaureis Philosophiæ, de duobus cujusq; à Seniore Professore vel Baccalaureo propositis unus eligatur. Jam verò ex Nobilissima Juventute quatuor proponantur à Primario Juventutis, et duo ex illis eligantur, ita, ut novem sint primi Electores, qui sic nominati et post nominationem per Bedelum, à Præsidente Actûs per verbum placet approbati, datâ stipulatâ manu Præsidenti, vim juramenti habente, quod bonum Universitatis promovebunt, ad Stubam Majoris Collegij descendent, eligentq; Septem Viros. Qui Septem Viri per Primum Electorem redeuntem cum alijs nominati, et per verbum placet à Præsidente approbati, habebunt potestatem eligendi quinque Viros. Hi verò quinq; Viri eligent aut reeligent Magnificum Rectorem, pro instanti Commu-

Commutatione. Quæ Electio cum regimine ad unam Commutationem, vel ad maximum ad tres durabit cum præmissa semper reelectione et non amplius, nisi interpolato spatio.

Statutum IV.

Et quoniam Rectoralis honor eminentiæ est, ita eligentium authoritas, cavemus ne ullus in Rectorem eligatur, qui non sit actu laborans, nam quomodo arguet alios, cum culpa redarguet ipsum, nisi sit antecedenter per Universitatem dispensatus. Tum et ille, qui Censuris aut condemnationibus innodatus est, eligi in Rectorem non debet. Similiter et actu non laborantes Electionis incapaces Sunto.

Statutum V.

Ut autem omnis suspitio tollatur, statuimus, quod qui à principio Electionis præsens non fuerit, eo ipso Electoratûs inter septem et quinq; Viros incapax fiat, nisi legitimè impeditus fuerit.

Statutum VI.

Quod si aliquando contigerit, unum Doctorem ex Facultate aliqua præsentem in Electione esse, qui seipsum proponere non poterit, pro tunc D. Præsidens Actûs Doctorem cum Professore ejusdem Facultatis proponet, pro quorum uno eligendo, ipse Præsidens et Doctores Facultatûm suprum Vota sua dabunt.

Statutum VII.

Etsi-

Etsi evenerit paritas votorum in Electorem aliquem ex novem, neq; eligentes reaſsumpta iterum vota mutaverint, Præsidens ut litem finiat votum ſuum addet.

Statutum VIII.

Electio Magnifici Rectoris commutatione æſtiva, debet fieri in Feſto S. Georgij, commutatione hyberna, ipſo Feſto S. Galli, die non impedita, et ſi Feſtivitas aliqua impediverit, ſequenti immediatè die. Illo autem, quo Electio fit die, Magnificus Rector manè Sceptra ad Procuratorem remittere debebit, qui Actum Electionis diſponet.

Statutum IX.

In Magſcum Rectorem nemo eligi debet, niſi præsens ſit Cracoviæ, aut in Suburbijs ejus, uti Clepardiæ, Casimiriæ, Veſoloviæ Electus Rectoratum acceptare tenetur, et ſi renuerit, debet reponere apud Dñum Procuratorem Vniverſitatis, decem marcas. Et tandem deſcendent ijdem Dñi Electores ad communem ſtubam, ad eligendum Dominum Rectorem, præſidente eodé Cathedrá aſcendente.

Statutum X.

Interpretatio præſentiæ in Rectore Vniverſitatis eligendo, ex Conclusione Vniversitatis 1515. Die 10. Martij. Omnes illi interpretantur eſse præſentes, qui continuò habent reſidentiam in domicilijs ſuis Crac', non obſtante eo; quod aliquando exire eos contingat, aut propter hoc, ne eligantur, aut ex quacunque alia

alia cauſa ad unum, duos aut tres dies, vel plures. Hi omnes ſicut illi, qui præſentes ſunt Crac' eligi poſsunt in Rectorem, sic tamen quod Rector antiquus adminiſtret in officio Rectoratûs, quouſq; venerit ille electus Cracoviam. Pro quo ſtatim facta electione Rector antiquus ſcribat literas nomine totius Vniverſitatis, et curſorem pro eo mittat per Procuratorem Vniversitatis ſalariandum, ut ſub pæna decem marcarum, viſis huiq modi literis veniat Cracoviam. Quod ſi non venerit ita aviſatus, in decem marcis iuxta Statutum antiquum erit puniendus, ſicut et ille, qui exiſtens præsens Crac' ſi electus fuerit in Rectorem, nollet ſuscipere, ſecundum Statuta antiqua puniatur.

Statutum XI.

Clamores et tumultus nemo excitare audeat in Electionis Actu, ſub pæna excluſionis, à Convocationibus Vniverſitatis per annum ſi fuerit Magiſter vel Licentiatus. Si Baccalaureus ſeu Studiosus, ſub pæna excluſionis ab introitu Scholarum per annum.

Statutum XII.

Quod ſi quinq; Electores in unum Rectorem convenire votis non poſsent, maximè quod Præsidens ſignatum aliquem à se et incapacem Rectoratus eligi vellet, nec à tali extorſione votorú recederet, extunc iterum Septem Electores cedentibus quinq; ad Stubam Collegij deſcendent, et novum Præsidentem inter quinque Electores eligent.

Statutum XIII.

Recto-

Rectore mortuo (ne Vniversitas mutila sine Capite suo sit) Senior Pater Vniversitatis, secunda die post mortem Ejus mandatum pro Electione Rectoris extradere teneatur, iuxta descripta Superius Statuta, nisi proxime exeunte ad finem Commutatione novi electio immineat, pro tunc Senior Pater Vniversitatis regimen tenere potest.

Statutum XIV.

De Residentia Rectoris.

Quoniam multa negotia Vniversitatem tangentia, exinopinato aliquando eveniunt, quorum resolutio principaliter ad Magnificum Rectorem, tanquam Caput Vniversitatis cum Consiliarijs assumptis spectat, ideo reassumendo antiquum Statutum, decernimus, quatenus Magnificus Rector, se Cracoviâ non absentet, etsi aliquando discedendi necessitatem habuerit (id tamen varius contingat) diutiùs, quàm tribus diebus non moretur, Substituto in locum sui aliquo ex Superiorum Facultatum Doctore.

Statutum XV.

De Inauguratione.

Post novi Electionem Rectoris, antiquus Rector, regimen Vniversitatis usq; ad diem suam retineat, qua incidente, congregatisq; ordinibus Academicis, ad Lectorium CC. DD. Theologorum, regimen cum Insignibus, Statutis actisq; noviter Electo Rectori tradet. Qui Electus in manibus Rectoris antigui jurabit super Punctis his. Imo. quod secundum justitiam judicabit. 2do. pecuniam fideliter dispensabit. 3tio. seriò in negligentias Professorum introspiciet, præmissaq; Præfatione, Possessionem Electionis suæ firmabit, Consiliariosq; nominabit.

Statutum XVI.

De Consiliarijs.

Quoniam appellatione interposita à Consiliarijs ad Vniversitatem, multiplicato numero Consiliariorum, causas intervenientes vix aliqui restarent ad judicandum, ideo sicut in quolibet Regno definitus est numerus Officialium ac Consiliariorum, ita et in Republica Nostra Literaria, eosdem ad numerum octodecem reducimus, qui in negotijs obvenientibus consilio ac operâ Rectorem juvare tenebuntur. Inter quos natos esse Consiliarios volumus Exrectores, uti jam bene rerum Academicarum gnaros, Doctores Facultatum trium Superiorum, quatuor Decanos Facultatum, Procuratorem Vniversitatis, Oratorem, Notarium Actorum Rectoralium, Syndicum; duos verò pro qualitate et activitate personarum sibi annumerare poterit, ita tamen, ut nunquam definitum numerum Viginti excedant.

Statutum XVII.

De Judicijs Rectoris.

Quod à prima fundatione, ex concessione tàm Sedis Apostolicæ, quàm Serenissimorum Regum, et Serenissimæ Reipublicæ Polonæ Vniversitas nostra obtinuit, hoc inviolabiliter observari volumus, ut Rector habeat Jurisdictionem ordinariam super omnes, qui in Civitate Crac' et Suburbijs ejus Studij causâ moram traxerunt, in omnibus Causis Civilibus et Criminalibus, levioribus nec ul-

lum

lum unquam in ijsdem Causis, Doctorem, Magistrum, Scholarem, Bedelum, alibi coram Judice quocunq; Ecclesiastico vel Sæculari audeat convenire, sub pœna decem marcarum grossorum Pragensium. A Sententia autem Rectoris nullus appellare valeat, vel supplicare, aut restitutionem in integrum petere, nisi ad Consiliarios Vniversitatis. Quod si fuerit causa magni momenti, à Consiliarijs poterit dari appellatio ad Vniversitatem. Si autem causa fuerit inter Professores Beneficiatos, ad Episcopum Crac' tanquam Cancellarium Vniversitatis pro tempore exístentem recurri debeat, iuxta Privilegium Vladislai Regis per Sedem Apostolicam confirmatum. Quidquid autem Episcopus cum Rectore et Decanis Facultatum, vel majori parte decreverit, istud sine omni contradictione servari debebit, sub pœna excommunicationis et exclusionis, iuxta Privilegium Alberti Episcopi Crac' Cancellarij Vniversitatis et Sedis Apostolicæ Delegati. et hoc ne Professores per lites et jurgia à suis lectionibus avocentur, Et finis litibus expeditiùs imponatur. In criminalibus verò majoribus, de numero Studiosorum excedentes proscribantur de Urbe per Officia Sæcularia pellendi.

PARS SECVNDA

De pecunia Vniversitatis et Privilegijs.

Quæ rectè statuta sunt de Pecunia Vniversitatis et Privilegijs Ejus, ea ad executionem deducendo ordinamus. 1mo. ut in loco separato in thesauro Collegij Majoris pecunia Vniversitatis, Privilegia, resq; cæteræ asserventur. 2'do. ut Inventarium Authenticum eorum omnium quæ asservabuntur in thesauro conficiatur, manu

manu Rectoris et Decanorum subscriptum, in quod Inventarium etiam in posterum inscribentur omnia et singula, quæ illuc inferentur. 3'tio. ut Custodes duo, unus è Theologis, alter è Jureconsultis in triennium eligantur, eadem die, qua fit Procuratoris Vniversitatis electio. 4'to. ut Librum compactum habeant, in quo unusquisq; Nomen suum inscribat. Si quid ex munimentis ex thesauro Vniversitatis accipiet, melius autem ut collationatum manu Notarij Rectoralis aut Apostolici extradatur, originale autem servetur. 5to. ut secundum Inventarium omnia reddere sint obligati Custodibus, qui in locum illorum postea eligentur. 6to. ne Rector ultra decem marcas de pecunia Vniversitatis propria authoritate exponere præsumat. 7mo. quoniam Procurator Vniversitatis et alij Professores frequenter opus habent Privilegijs, ad informationem de Officijs et Beneficijs suis, ne semper authentica opus sit accipere, conficiantur libri, in quibus describentur, omnia Privilegia et munimenta quæcunq; reperiri possunt, unus pro Collegio Majori, et omnibus ad illud pertinentibus, alter pro Collegio Jurisconsultorum, tertius pro Collegio Minori.

De Procuratore.

Statuimus etiam, ne Procurator Vniversitatis Arendas et locationes Villarum, Lapidearum, domorum et decimarum, absq; Rectoris et totius Vniversitatis consensu faciat, quo Vniversitatis melior fieri possit conditio.

De Dismembrationibus.

Diligentiam in Professoribus excitare præmio et pœna cupientes dismembrationibus antiquitùs constitutis, ex Præpositura

S. Flo-

S. Floriani flor. 400. juxta decisionem Judicis Delegati à Sede Apostolica, sub pæna excommunicationis, et privationis Beneficij, per Præpositum loci extradendorum, et Bursa Vngarorum tempora reassumuntur, nimirum uni statim post Festum SS. Trium Regum, alteri post Festum S. Michaelis, ubi Rector informationem à Decanis accepta, de singulorum Professorum negligentia, habebit in manu, quo puniat uniuscujusq; negligentiam, ad quod ex vi juramenti, circa confirmationem sui præstiti, et præscripto Statutorum tenetur.

De Beneficijs Vniversitatis.

Quia grave scandalum reputatur, si homines, qui alios docent, Beneficia Ecclesiastica malè administrent, et Officia, ad quæ ratione ipsorum obligantur, negligant, statuimus, ut singulis annis, initio Commutationis Æstivæ, diebus non legibilibus, Præpositus cum Consiliarijs, visitet Beneficia quisq; Domus Suæ hic Cracoviæ et in Suburbijs consistentia, atq; diligenter sciscitetur, an sit integro supellex Ecclesiastica, cujus Inventaria ordinatè descripta, in una quaq; Domo esse debent; et an Officia Divina, secundùm Fundatorum voluntatem peragantur. Ruinæ si sint, quod si eas Possessor, aut resarcire noluerit, aut neglexerit, Beneficium sequestro, prævia una et altera monitione, subijciatur. De qua visitatione ipsi Præpositi Collegiorum Dno Rectori teneantur reddere rationem post electionem aut confirmationem, ad maximum in tribus Septimanis, sub pæna duorum florenorum, qui quidem secundùm præstitum juramentum, omnes partes Vniversitatis considerare. et omnes defectus corrigere est obligatus.

Pro

Pro Parochialibus, etiam extra civitatem consistentibus, singulis annis tempore Vacationum Dnus Rector deputare tenebitur Visitatorem, unum ex Professoribus, quem ad hoc magis idoneum putaverit, qui unà cum Procuratore Vniversitatis, ad Ecclesias, Luborzycensem, Prossovecensem, Corczynensem, Pramykoviensem, Ilkusiensem, Vieliciensem, Nasiechovicensem, et alias cum tempore accessuras, sumptu eorundem Professorum, singulis annis, vel saltim ad maximum triennio descendent, et de omnibus defectibus Dno Rectori fidelem relationem facient, circa finem Vacationum, sub pæna duorum florenorum, tàm per Procuratorem quàm per Visitatorem incurrenda. Quod si in Officijs suis Possessor Beneficij negligens fuerit, et ruinas Ecclesia aut Domus Residentialis minentur, neq; restaurationem curaverit, sequestrandum Beneficium, præmissa una et altera monitione censemus tam diu, donec ex Proventibus illius Ecclesiæ sufficiens restauratio fiat. Domos etiam Vniversitatis. Procurator singulis annis cum uno à Rectore deputando revideant.

De Electione Decanorum.

Quamvis antiquo Statuto cautum erat, ut Decani in singulas Commutationes eligerentur, vel reeligerentur, tamen quia propter causas certas et rationabiles postea conclusum est, et in hunc usque diem observatum, ut in Facultate Theologica, Jureconsultorum et Medica, Decanatus esset annuus, et in omnibus Facultatibus, ne iteratò cuiq;, sed ex ordine singulis deferatur. Singularum Facultatum posterioribus Constitutionibus de Electione Decanorum standum esse decernimus. In Facultate tamen Philosophica de

anti-

antiqua praxi et lege, bis in anno, Decani electio fiat, idq; pro Commutatione hyemali Sabbato ante Festum S. Galli, Professoris ex Collegio Majori; pro Æstivali verò Commutatione, ex Professoribus Collegij Minoris Sabbato ante Festum S. Georgij, attenta personæ diligentia in tradendis Lectionibus, et si non habuerit impedimentum de non absolutis Actibus pro Toga, per Facultatē assignatis, ac alia in Statutis ejusdem Facultatis descripta. Theologicæ autem Facultatis Decani, Festo S. Marci Papæ, 7ma 8bris

De Electione Collegiatorū et Vocatione ad Beneficia.

Statutum de Electione Collegiatorum velut apprimè salutare ad usum omni ex parte revocandum censemus. et ne in Electionibus errores admittantur, sempèr ad Convocationem Dominorum Doctorum et Magistrorum, ad quos pertinet Electio, adferatur Privilegiū Officij vel Beneficij, quod conferendum est, ut ex eo appareat, quæ conditiones requirantur ad illius Officium aut Beneficium, et quis ex candidatis aptior ad eas obeundas. Absens aut non laborans, ac in Vniversitate non residens, ad Beneficia et Officia nullo modo vocandus. Quamvis qui prior tempore, potior est et jure, eos tamen Senium defendit, quibus cæteræ virtutes, ad assequendū illum gradum suffragantur, iuxta Privilegium Vladislai Regis, et Joannis

XXIII.

XXIII. Papæ, et Alberti Episcopi Crac', et qui laborando et honeste vivendo, magis se habiles et idoneos fecerint, alijs priùs vocandi. Quia qui in aliqua professione excellens est, non solum magnum Vniversitatis adfert honorem, sed etiam in Auditoribus majorem profectum facit, volentes quam excellentissimos in Vniversitate habere Professores, Statuimus, ne de una professione ad aliam facilè concedatur transitus, juxta Privilegium Joannis Episcopi Crac'. Quemadmodum igitur de Astrologo ordinatum est, ut per quindecem annos in eadem professione, propter majorem experientiam perseveret, ita in alijs professionibus fieri expedit, ut qui ad Poesim aut ad Oratoriam Facultatem, aut ad Philosophiam aptus fuerit judicatus ingenio, in eadem ad minimum per quinq; annos versetur. Hoc tamen nullum impedimentum debet adferre, quo minus ad optiones Beneficiorum, quæ illum ratione ordinis concernerent, admittatur: per quod nullum fiet præjudicium voluntati Fundatoris, cum ea Lectio ab alio legetur, quam legere hic debebat.

Nullus item ad Collegium minus vocetur, nisi qui Cursum Philosophicum audiverit, nec ex hoc, uti ex Seminario aliorum Collegiorū ad majus, nisi Theologicis Lectionibus, præcipuè tamen Cursibus Theologicis, quod omninò indispensabile sit operam dederint, sub Professoribus eas tradentibus, neq; ad Juridicum, nisi Lectiones Juridicas audiverit.

De Investitura ad Minoris Collegij Professiones.

Quia Ordinarius Decano et Custodi S. Floriani Minorum Collegiatorum Institutionem concredidit et concessit, quæ illi ipsi de jure competebat; sub onere conscientiæ et excommunicationis pœna obligamur

mur, ne invalidos, et ad Lectiones minus idoneos instituant, omni nò necessarium esse judicamus, ut qui ad aliquam lecturam è Minori Collegio eligetur, teneatur statim Institutionem sequenti die à Decano vel Custode S. Floriani respectivè petere, et juramentum circa Institutionem præstari solitum, de obedientia Ordinario exhibenda, Inventario rerum Beneficij sui conficiendo, et conservando, bonis Ecclesiæ non alienandis, et alienatis pro posse recuperandis præstare, et Literas Institutionis formatas, sub manu et Sigillo instituendas, quæ gratis dari debent accipere, nec patiantur in gravamen conscientiæ suæ dicti Decanus et Custos, aliquem absq; Institutione Canonica lecturas tenere.

Indignum etiam videtur, ea quæ virtuti, industriæ, et eruditioni debentur, per sordes aut alias vias obliquas et illicitas quærere. Proinde statuimus, ut si quis per corruptiones aliquem gradum aut vocationem acquirere in Nostra Vniversitate tentaverit, eo ipso ille ascensu privatus censeatur, et alium expectare cogatur.

De Expensis circa Ascensum.

Cum nimis absurdum sit, inter homines Studijs deditos, vanas et superfluas expensas fieri, quarum Expensarum vanitate et superfluitate ab ascensu multi terreri possint, prohibemus, ne vocati ad Collegia, prandia solennia aut cœnas apponant, sed juxta Leges Collegiorum et Statuta procedatur.

De personali Residentia Collegiatorum.

Cùm omnes Professores intentioni Fundatorum satisfacere omninò sub onere conscientiæ teneantur. Statuimus, ut omnes Professioni suæ, quàm diligentissimè attendant, neq; se duran-

bus Lectionibus abstrahant, sub pœnis in Statutis cujuslibet Facultatis expressis. Nimirum, si quis sine justa et rationabili causa per Decanum approbanda, uno die Lectionem aut disputationem neglexerit, detrahantur illi ex dismembratione, iuxta Privilegium Alberti Episcopi, nimirum pro una Lectione Magistri grossi duo. Pro una Lectione Jurisconsulti ordinarij, grossi sex, aliorum, grossi quatuor. Pœna Medici, grossi tres. Si verò per duos Menses aut tres, negligentiam commiserit, sine justa et rationabili causa per Rectorem approbanda, nil de ijs, quæ in Commune distribuuntur, et de Salario suo, si quod certum est accipiat, et ascensu careat, donec sedulâ diligentiâ negligentiam suam compensaverit. Justa autem Causa intelligitur, si esset absens in negotijs Regni, Episcopi, Capituli et Vniversitatis, aut in proprijs urgentibꝰ, habitâ licentiâ à Magꝰco Rectore, iuxta declarationem Alberti Episcopi in Privilegio. Ordinamus præterea, ne quis in Italiam aut exteras Nationes proficisci audeat, nisi licentia prius à Lociordinario ratione Beneficij, et ab Vniversitate ratione Professionis obtenta, et alio Magistro in locum suum surrogato, sub pœna privationis suæ Collegiaturæ ipso facto incurrendæ. Licentia autem dari non debet, nec cum Filijs Nobilium, nisi ad summum ad biennium, et non pluribus quàm duobus, vel tribus ex tota Vniversitate.

Contra assumentes Laureas alibi.

Quoniam injustum ac indecorum est, alibi illa quærere, quæ in Vniversitate Nostra habentur, ideo Statutum antiquum reassumendo, decernimus, ne ullus Professorum Academiæ hujus in

alia Vniversitate, quascunq; Laureas assumere contendat, sub pœna non admissionis ejusdem ad locum inter Doctores, excepta Medica Facultate, cujus Professores, in exteris Doctoratu assumere solent.

De Convocationibus.

Cùm Doctorum, Virorum Congregationes debeant esse omnis gravitatis, modestiæ, boniq; ordinis exemplar, Statuimus, ut in quibuscunq; Convocationibus, tam Universitatis, quàm Facultatum aut Collegiorum, uno loquente, cæteri omnes taceant, et nullus logui possit, nisi de licentia Rectoris vel alterius Convocationi Præsidentis. Si quis Convocationem turbare, vel in alterius sententiam involare præsumpserit, statim à Convocatione expellatur, et secundum delicti modum, à similibus Convocationibus, ad Menses tres, sex, vel etiam ad Annum Suspendatur, maneatq; voce privatus, qua uti non didicit.

De vita et honestate Collegiatorum.

Rigor Judiciorum et disciplina, tàm apud Dnum Rectorẽ quàm in Facultatibus et Collegijs restituatur, et hoc omnibus residentibus sit propositum; ut vitia extirpentur, et scandala procul sint ab ijs, qui alijs vivendi norma esse debent, si quis igitur fuerit contentiosus, rixosus, aut percussor, puniatur juxta Conclusionem Vniversitatis, in Rectoratu Magfci Martini Krokier, Philosophiæ ac Jurisprudentiæ Doctoris, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Luceorien sis, Anno Dni 1558. quæ est tenoris ejusmodi.

Quicunq; raptus in quosvis affectus facilè effervescit, ut quid dece-

deceat, ipse non videat, alios rectè instituere haud quaquà potest. Turpe enim est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Proinde Nos Martinus Krokier à Cracovia, Philosophiæ et Jurisprudentiæ Doctor, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Luceorien sis &c. ac Rector Generalis Universitatis Cracovien sis, cũ Senioribus Patribus, Decanis, ac Consiliarijs, legitimè secundum consuetudinem per schedam Anno Dni 1558. die XXII Decembris convocatis, ad occurrendum, quibusvis gravibus et varijs scandalosisq; controversijs inter Professores publicos Minoris Collegij, quas magno cum dolore audivimus, et ex utraq; discordantium parte, eò, quò processerant ordine, sunt coram Nobis expositæ, et ad consulendum, quomodo illi et eorum similes quietiùs et animo tranquilliore suis, ad quæ vocati sunt muneribus respondeant. Statuimus et ordinamq; perpetuòq; observandum decernimus, ut si quis Professorum, Doctorum atque Magistrorum in quocunq; Collegio inhabitantium, audeat contra alium verbis irrisorijs, nationes confundendo, vel cognomina imponendo, nobilitatemve ad detrahendum plebeijs opponendo, cognominationibus itidem scandalosis, famæ læsivis, aut quovis modo pungitivis insurgere auderet. pœnam unius Sexagenæ pro Communitate, et publicæ deprecationis toties luat, quoties personis injuria fuerit illata. Si quis autem in Communitatem, quocunq; tempore, inter Magistros publicè vel privatim congregatos, armatus ipse venerit, aut alios cujusvis conditionis subordinaverit (excepta pixide seu bombarda, propter quà sim-

simpliciter excludendus erit). Item si in alium manibus violentis, aut quovis genere jactus, vel armorum impetum fecerit, nec tamen eundem verberaverit, supra dictæ pœnæ in omnibus suis punctis irremissibiliter subjaceat. Quicunq; verò aliquem crinibus vel barba traxerit, aut quocunq; modo vellicaverit, faciē aut alia membra corporis lacceraverit, et ita verberavit, quod nulla cruenta apparuerit nota, pro pœna D'no Rectori, qui interim fuerit, irremissibiliter reponat quinq; marcas, et primo ascensu in Beneficio legitimè eum seguente careat, et factum publicè in eadem Communitate deprecetur. Si autem quod absit vulneraverit, parti læsæ medicinam expediendo satisfaciat. Universitati verò pœnam decem marcarum, per D'num Rectorem qui interim fuerit exigendam reponat. Insuper duobus ascensibus in Beneficijs eùm immediatè et legitimè seguentibus privetur. Si autem talis fuerit aliquis, qui nolit vel non possit ascendere in Beneficia Universitatis, quindecim marcas, ab eodē D'no Rectore, ut pro pœna reponat Universitati, cogatur neguidquam absq; consensu totius Universitatis eidem restituatur. Si quid omnium prædictorum in privato loco, seu in habitatione alicujus factum fuerit, in medio singularum, quæ hic præscriptæ sunt, pœnarum, pro singulis excessibus, quisq; puniatur. Quod si verò quis ita importunus et pertinax fuerit, ut pœnam pro assignata die et termino reponere, tàm in communitate, quàm apud D'num Rectorem neglexerit, sub pœna dupli ad alium sibi terminum præfixum reponere cogatur. Tandem secundum aliam assignationem termini, sub pœna tripli.

Si au-

Si autem non reposuerit, et ita contumax existat, ut ne tantam quidem procrastinationem curet beneficio per eundem D'num Rectorem, obtenta apud Loci ordinarium commissione, privetur et destituatur, ac à consortio reliquorum, Domoq; ac emolumentis omnibus, sine quovis favore excludatur, in locumq; ejus statim post unam hebdomadam à privatione elapsam, alius vocetur, non obstantibus quibusvis Statutis et Conclusionibus, super hujusmodi controversijs aliquando decretis. novis enim morbis, nova remedia sunt adhibenda.

Si verò fuerit potationi deditus, lusor aut concubinarius, vel aliquod aliud scandalum admiserit, et de hoc convictq; fuerit, pro prima vice puniatur detractione tertiæ partis dismembrationis, vel Salarij sui annui, pro secunda vice, media parte, pro tertia vice, tota dismembratione vel Salario, pro quarta, ascensu privetur, et data incorrigibilitate, de Collegio, ac etiam Universitate excludatur.

Vt verò per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca ostendatur, ordinamus; ut Professores vestes proprio congruentes ordini semper deferant, potissimum in Actibus Publicis Universitatis, bireta, insignia Doctoratûs et Magisterij sui Togas, Caputia, cum ad hoc non solum Statutis Universitatis; sed etiam quia sunt Ecclesiastici ex præscripto Concilij Tridentini, sess. 14. stringantur. Neque coloribus prohibitis, rubeo, viridi, vel aliquo vario utantur. Si quis habitum decentem non detulerit, pro prima vice puniatur pœna, octo grossorum, pro secunda, sexdecim grosso-

rum:

rum, pro tertia, viginti, pro quarta, dismembratione privetur.

De Anniversarijs et alijs Mandatis Rectoris.

Quia æquum, ut sempiternam recolamus memoriam Fundatorum, et aliorum Benefactorum, ideo pium Majorum institutum perpetuò observandum teneri volumus. Quatenq quatuor temporibus Missa per totam Universitatem celebretur, in qua præmisso Sermone per unum ex Theologis, Nomina tàm Vivorum quàm Mortuorum Benefactorum, post Sermonem brevem, clara et distincta voce recitentur. Alijs verò Anniversarijs ordinarijs, dies hos destinamus.

Pro Rege Vladislao Jagelone, Fundatore Universitatis. Pro Heduigi Regina Consorte ejusdem Vladislai Fundatrice Universitatis. Pro Casimiro III, Vladislai Jagelonis Filio, et Posteris ejus. Pro Joanne Alberto, Casimiri Filio. Pro Stephano Rege et Anna Jagelonia, Consorte ejus. Pro Vladislao IV. Feriam 4tam, post Dominicam primam Quadragesimæ, si duplici Festo, non fuerit impedita. Anniversarijs verò ordinarijs, 1mo. pro anima Perillustris Laurentij Staringelij Insulatiza moscensis, postridie Festi Commemorationis Defunctorum.

2do. pro Anima Perillustris M. Adami Roszczewicz J. V. Doctoris, Canonici Crac, Feriam 4tam, post Dnicam secundam Quadragesimæ. 3tio. pro anima Perillustris et Reverendissimi Markiewicz, J. V. Doctoris, Canonici Cracovien, Feriâ 4tam, post Dnicam 3tiam Quadragesimæ. 4to. pro anima Lucæ Noszkowski, Feriam 5tam, ante Dnicam Passionis in Ecclesia D. Annæ. 5to. pro anima Perillustris ~~Broscij~~ Sor, ex cen-

censu annuo à Summa flor' 1000. in Xiąznice et Karszy locata, per manus Perillustris Procuratoris Ecclesiæ Sanctorum Omnium dando in eadem Ecclesia Ss. OO.

De absentia in Anniversarijs.

Quoniam datur Beneficium propter Officium, ideo cavemus, quatenus absentibus in Anniversario, portio ipsis competens adimatur, et alijs præsentibus adscribatur, nisi sint per Universitatem, aut Magnificum Dnum Rectorem, data notitia anticipativè de legalitate aliqua, dispensati, aut legitima occasione ratione Officij in Vniversitate distenti, aut vera infirmitate pressi. Et quia Actus Vniversitatis ornavi à Professoribus debent, tàm ex vi obligationis Professoralis, quàm et pietatis, jam autem in Mandatis Quartualibus, (ex quibus nullum Salarium speratur nec percipitur) vix aliqui compareant, ideo statuimus, quoties aliquis in Mandato Quartuali absens fuerit, toties florenus unus ex Anniversario pensionali, aut aligua dismembratione Universitatis, ipsi rescindatur, et præsentibus applicetur.

De Actis Universitatis.

Quoniam Acta Rectoralia, alia igne absumpta sunt, et alia neglecta, quæ vim legis habent, et ex quibus lumen in similibus occurrentibus negotijs haberi posset. ideo statuimus, ut hæc qualibet commutatione per Actuarium Rectoralem conscribantur, et futuro Rectori in Jnauguratione per antecedanc um Rectorem reddantur.

De Be-

De Bedelis Vniversitatis.

Bedeli Viri bonæ conditionis et famæ, et aliquantum literati per Vniversitatem eligantur, qui jurabunt, quod obedient Dño Rectori, et ad Jllius vocationem venient, et Statuta Vniversitatis ad eos pertinentia servabunt, unus singulis diebus ad Rectorem veniet, alter Lectores omnium Facultatum obibit, observando vel notando qui legunt vel non legunt Lectiones suas, et DD. Decanis Facultatum die Sabbati deferet negligentias, jam verò Decani Facultatum, eas dem negligentias in decursu Commutationis, aut ante dandas rationes per Procuratorem Magnifico Rectori in scripto porrigent, Lectoriorum munditiam conservabunt, fenestras Lectoriorum eximent et imponent pro diversitate temporum, in præsentia Dispensatoris vel Præpositi, orbiculos annotabunt. Tumultibus aut inconvenientijs Studiosorum inter Judæos, ac in alijs locis attendent. Rectorem in omnibus diebus festivis et Dnicis ad Ecclesiam euntem unus sequetur. Jn omnibus Actibus publicis Universitatis aderunt, et in Facultatum Convocationibus Decanis operam suam navabunt. Dismembrationes ex manibus Procuratoris Vniversitatis fideliter deferent. Pro Salario suo ex Fisco Vniversitatis, singuli habebunt, in singula guatuor tempora per florenos guatuor, et pro mansione unusquisq; pro anno florenos viginti. Ab his, qui Promotiones et gradus in Vniversitate accipient, iuxta antiquam consuetudinem.

De Evocationibus.

Jnsi-

Jnstendo Bullis Joannis XXIII. Pauli V. Leonis X. et Vrbani VIII. Privilegijs, Vladislai Jagelonis, et Casimiri Magni, Sigismundi Augusti Regis, tùm Decretis de Jurisdictione Ordinaria Rectoris. Jmo. Jllustrissimi et Reverendissimi Karnkowski, Archiepiscopi Gnesnensis, Anno Dni 1599. die XXV. Augusti,. 2do. Jllustrissimi et Reverendissimi Martini Szyszkowski, Rectoratu Adm olim Janidłovij, de Anno 1618. 3tio. Jllustrissimi et Reverendissimi Zadzik, Anno Dni 1639. 4to. Jllustrissimi et Reverendissimi Petri Gembicki, Episcopi Cracovie, inter Adm Rndum Stanislaum Pudłowski, J. V. Doctorem, Anno Dni 1644. 5to. Perillustris Reverendissimi Dni Septimij Palutij, J. V. Doctoris, Prothonotarij Apostolici, Curiæ Jllustrissimi et Reverendissimi Dni, Francisci Pignateli, Dei et Apostolicæ Sedis Gratiâ Archiepiscopi Tarentini, ejusdem Sacræ Sedis Apostolicæ ad Serenissimum Augustum Secundum Poloniæ Regem Potentissimum, totumq; Regnum Poloniæ, et M. D. Lithuaniæ, cum Facultatibus Legati, de latere Nuntij, Generalis Causarum Auditoris, per Jllustrem Clarissimú. et Adm Rndum M. Martinum Slowikowski, J. V. Doctorem et Professorem, contra Vniversitatem, ratione electionis Clarissimi et Adm Rndi Gregorij Caroli Kawalczewski in Seniorem Contubernij Juridici, inhibitionem cum citatione revocantis, cassantis in damnis et litis expensis condemnantis Anno Dni 1700. Die Veneris XII. Mensis Novembris, latis et publicatis. Conclusionem de Anno 1658. Die XIV. Junij latam, Rectoratu Magnifici Dni Francisci Rolinski, Philosophiæ et Medicinæ

Docto-

Doctoris et Professoris reassumimus, quæ est tenoris ejusmodi. Universitas unanimi omnium Doctorum et Professorum consensu, rigorem antiquarum Legum et conclusionum reassumendum esse censuit, et uno omnium ore concluſit, ne aliquis in posterum talis reperiatur, qui in Cauſis merè Academicis ijsq; civilibus, ad Illustrissimum Loci ordinarium appellare, aut eo nomine prōtestari audeat: cùm per hoc ipsum pernicies Jurisdictionis Academicæ, et ruina Universitatis immineat. Privilegia autem et Statuta, tàm Serenissimorum Fundatorum, quàm Universitatis totius hoc exoptant. Ut omnium Causarum cognitio prima fiat apud Rectorem, altera apud Consiliarios, et demum tertia ac ultima, apud Universitatem, quæ suum vigorem habere debet, sine ulteriori provocatione. Si verò talem contigerit habere Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud Sæculare, vel tanguam vacans alteri conferatur per eum, cui de Jure competierit, in spatio septem dierum, aliàs conferet Universitas. Secus intelligi debet de Beneficialibꝰ Cauſis, in quibus à Sententia Rectoris, libera erit ad Illustrissimum appellatio, qui ex pluralitate Sententiarum per Decanos Facultatum latarum, juxta ordinationem Alberti Commiſsarij Apoſtolici, et decreta ſubſequentia gravatæ Parti gratificari poterit.

De Salarijs Mortuorum Professorum.

Quoniam in mortuos, quorum memoria ſalutaris, pios nos reddere debemus, ideo decernimus. Quatenus ad diem Ne per lites et proſecutiones Profeſsores à Cathedris avocentur funeris, portiones per Collegia, tùm et Salaria et diſmembrationes, tàm Collegiorum quàm Universitatis ipſos concernentia ad manus Executorum extradantur.

De Testamentis.

Et quia per extraneos nominatos Executores, læsio Jurium Universitatis intenditur, jam verò Magnifico Dño Rectori ſoli diſpositio, tam poſt inteſtatos, quàm teſtatos, etiam extranea Beneficia tenentes Profeſsores, vigore Bullarum Sedis Apoſtolicæ et Decretorum Romanorum, Jurium Regni, ac antiquæ poſseſsionis ſpectat: ideo quemlibet Profeſsorem ſub onere conſcientiæ, vigore Juramenti, de bono Universitatis promovendo præſtiti, obligamus. Vt quilibet Profeſsorum, Salariatos ſibi Profeſsores, unum aut duos primos, ſi fuerint plures in Executores eligat, reliquos ſibi pro libertate adijciet. Qui Executores, ſtatim poſt obitum Teſtatoris approbationem Teſtamenti, per Magnificum Dnum Rectorem procurent, rationes de Perceptis et Expensis, nimirum de munere Executoriæ poſt decurſum Anni unius et Sex Septimanarum dare tenebuntur.

De Borcanis.

Aut antiquitate temporum, aut debita inadvertentia, quoniam Fundationes interire ſolent. Ideo ſtatuimus, ut Borcanæ Studioſorum, in duos Libros conſcribantur.

tur. Quorum unus sit penes Dnum Rectorem pro tempo-
re existentem, alius in Archivo Collegij Majoris. Qua-
rum Borcanarum Provisores, iuxta ordinationes Fun-
datorum eas distribuent, rationesq́ de Perceptis et Expen
sis, quolibet Anno, coram quo de jure, iuxta ordinatio-
nes competierit dabunt. Quod si aliqui negligentes in
vindicatione earum et distributione fuerint, extunc per
Officium Rectorale moneantur, ut aut illas, alijs tradant,
aut serius vindicent neglectas. De quibus autem ratio-
nes coram Magnifico Rectore dari debent ijs redden-
dis, sicut et Convocationi Decanorum, Feriam secun-
dam post Dnicam Passionis, aut si fuerit impedita,
die proximè sequenti præfigimus. In qua Convocati-
one, Provisores Contuberniorum, uti Hierosolymitani,
Jageloniani, Philosophorum, Staringeliani, Zizinia-
ni, et Provisor Classium rationes etiam de Perceptis
et Expensis dabunt.

Rationes Procuratoris.

Quoniam Electio Procuratoris ad annum tantum
esse soleat, ideo rationes per eundem quolibet anno da-
ri debent. Quibus faciendis, sicut et Convocationi Consi-
liariorum Feriam Sextam, ante Dnicam Passionis, Si
non fuerit impedita Festô, assignamus.

De Lectionum incipiendarum et terminandarum tempore.

Et ne aliquando in tradendis Lectionibus ordo per-
mu-

mutetur. Statuimus, ut Lectiones Theologicas et Juri-
dicas, tàm Doctores, quàm Professores earundem Fa-
cultatum, Commutatione Æstiva in crastino Festi S. Sta-
nislai incipiant, et easdem in Pervigilio Translationis
S. Stanislai terminent. Jam verò Commutatione Hyber-
na, immediatè post Festum Commemorationis Fidelium
Defunctorum inchoent, et ad Dnicam Passionis protra-
hant, quod etiam Oratori Tyliciano incumbit. Clarissi-
mi autem Medicæ Facultatis Doctores et Professores,
tempore Vacationum et Sacræ Quadragesimæ, juxta Sta-
tuta Facultatis suæ perlegent. Philosophiæ verò Facultа-
tum Doctores et Professores, Lectiones Philosophicas in-
cipient, tempore verno, tertia die post Electionem, aut re-
electionem Magnifici Dni Rectoris, et ad Festum Exalta
tionis S. Crucis protendent. Jam verò Hyberno, tertia si-
militèr die, post Electionem Magnifici Rectoris, usq́ ad
Dnicam Quinquagesimæ. Actus verò Philosophici, si
mul cum Studio Philosophico incepti, Commutatione
Hyemali, usq́ ad Dnicam Passionis, tàm in Superiori,
quàm in inferiori Lectorio protendentur. Jam verò com-
mutatione Æstiva à tempore Studij in Superiori Lecto
rio ad Festum S. Margaretæ, jam verò in inferiori, ad
Festum S. Laurentij, et post reassumpta Studia, à Festo S.
Bartholomæi in utroq́ Lectorio, ad Festum Exaltationis
S. Crucis continuentur. Et ut in tradendis postea Lectio-
nibus majorem facilitatem V.V. Baccalaurei habeant,

iux-

juxta antiquam consuetudinem, tàm tempore S. Quadragesimæ, quàm Vacationum, compendia Lectionum tradent, Actus extraordinarios absolvent, præmissa per Decanum Facultatis Philosophicæ de ijsdē accipiendis convocatione. Quod tempus absolvendis etiam pro Toga actibus, destinamus.

De conferendis Togis, in Facultate Philosophica.

Quoniam quilibet honor, præmium est meritorum, ideo reassumendo conclusionem Universitatis, Rectoratu Magnifici M. Martini Oslinski S. Theologiæ Doctoris et Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Decani, Classium Novoduorscianarum, et Contubernij Hierosolymitani Provisoris, latam, decernimꝰ, quatenus nulli Toga conferatur, neq; illam aliquis petere audeat, nisi post expletum quadriennium Magisterij sui, nimirum biennium vigore juramenti, et biennium aliud pro Toga sub pœna privationis collatæ Togæ, et alijs pœnis, contra inobedientes ac refractarios latis. Hoc autem quadriennium illis suffragabitur, qui omnibus suis Officijs in tradendis Lectionibus, absolvendis Actibus, disputationibus, ipsos ex ordine tangentibus ex asse satisfecerint, alias his deficientibus, etiam expletô quadriennio, petitio ipsorum reijciatur, donec seriâ diligentiâ, negligentias anteactas compensaverit.

58

Connotatio Documentorum Universitati necessariorum

1. Decretum Tribunalis Regni Lublinens. Sabbato post Octavas Festi Sm̄i Corporis Xsti A. 1617. latum
2. Decretum aliud ejusdem Anni et Feriae.
3. Decretum ejusdem Tribunalis Regni Feria 5ta ante Festum S. Laurentii A. 1643.
4. Decretum aliud ejusdem Tribunalis Feria 6ta ante Festum S. Laurentii A. 1643. Quibus Decretis per Oblatam ad Acta Castrensia Capitanealia Crac. Feria 4ta post Festum S. Lucae Evangelistae A. 1643 porrectis eximuntur Studiosi etiam rebelles à Jurisdictione Capitaneali Cracoviensi.

De Jurisdictione Rectoris ac de Jurisdictione Conservatoris

Decretum Universitatis die Solis 7ma July Rectoratu M. Gregorii de Szamotuly U.J.D. A. 1538.

In totius Universitatis Congregatione per Rectorem facta sub debito obedientiae. Domini Doctores et Magistri auditis Privilegiis tam Conservatoris quam Rectoris tunc publice lectis, concorditer concluserunt Semper ab initio fundatae Universitatis authoritatem et Jurisdictionem Rectoris esse supremam et primam in Universitate. Conservatoris vero Subsidiariam ad defendum Jura et Privilegia Bonorum Universitatis mobilium et immobilium datam nec unquam fuisse appellatum a Sententia Rectoris ad Conservatorem prout his diebus M. Martinus de Cieszkowice appellavit, contra Statuta Universitatis. Et ~~vero~~ ei tota Universitas mandavit poenam decem marcarum dicto Magistro, reponendam in manus Dni Rectoris, nec absolvendum donec parnerit Decreto per Rectorem Decanos Consiliarios et Patres Seniores legitime lato, ne vilescat Rectoris et Patrum authoritas. Alioqui die Veneris proximo in publica Convocatione procedet contra dictum Magistrum Martinum ad poenam exclusionis de Collegio vel suspensionis à proventibus juxta consultationem Doctorum et Magistrorum totius Universitatis futuram. Ex Actis Actorum Officii Rectoralis Unstis Crac. extractum.

fol. 36. ad Hun.




Inches
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35
Centimetres
Colour Chart #14
DANES-PICTA .COM
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black